



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE CURITIBAE IN PERAMPLA TEMPLUM CATHEDRALE METROPOLIATANAЕ SEDIS CURITIBENSIS BEATAE**

**MARIAE VIRGINI TITULO «NOSSA SENHORA DA LUZ» INVOCATAE DICATUM,**

**AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Curitibae, in perampla et frequenti Brasiliae urbe posita intra fines Paranensis Civitatis, clarum exstat templum cathedrale Beatae Mariae Virginis a Luce, patrio sermone «Nossa Senhora da Luz» nuncupatae, in quo, architecturae genere «gothico» mire aedificato, a fidelibus loci totiusque archidioecesis pie colitur decora imago Deiparae Virginis memorato titulo invocatae. Constat praeterea eandem ecclesiam notum esse centrum Christianae vitae, actionis pastoralis et apostolatus laicorum necnon operum caritatis praesertim in pueros et egenos. Qua re, cum Venerabilis Frater Petrus Antonius Marchetti Fedalto, Archiepiscopus Metropolita Curitibensis, litteris die XXXI mensis Maii hoc anno datis, etiam cleri populique sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, paternae benevolentiae signum tam caris filiis Curitibensibus cupientes praebere, eius sollertis Pastoris preces perquam libenter audiendas esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum cathedrale, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae ecclesiis hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Minime vero dubitamus quin concessus honor haud paulum adferat decoris sacris sollemnibus, quae die VIII mensis Septembris proximi istic agentur ob expletum saeculum ex quo templum istud divino patuit cultui. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Iulii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

---